

Juncus bulbosus, Galium palustre, Empetrum nigrum, Lichen rangiferinus. Surculi Populi tremulæ, ex vetustis radicibus hinc inde uberius provenientes. Spartium scoparium, Genista tinctoria, pilosa, germanica. Aira coerulea, cujus folia lata ex erica longe prominentia a Bobus avide appetuntur.

In arena mobili, præter gramina et herbas à Te in Itinere Scanico enumerata, observavi in uno loco ad Oceanum occidentalem Jütiam alluentem, copiosissime in arena mobili proveniente et totum littus cum arundine arenaria occupantem varietatem Tritici repentis maritimam vulgari multo crassiorem et seminibus turgidioribus refertam, culmi internodiis articulatim cum seminibus maturis decidentibus; altero in loco inveni airam canescentem totum litus arenaceum obtegentem, radicibus frequentissimis ad longitudinem fere pedis in arenam mobilem demissis; una cum Rosa spinosissima.

Hiscæ diebus perlegi D. Prof. Oederi Introductionem in Scientiam Botanicam in Mss: lingua Germanica conscriptam; Hic contendit Generum in Regno vegetabili constitutionem et sanctionem esse impossibilem imò noxiam, et nomina Botanica quoque esse inutilia; Dicit enim, dum nomen per se nihil facit ad cognitionem plantæ, sed planta cognoscitur ex attributis suis et loco in systemate assignato, hinc non tantum supervacaneum verum etiam ob nominum numerositatem et frequentiore mutationem omnino inopportunum est, memoriam tot nominibus onerare, sed æque bonum esset, numerum et paginam ex Systemate Botanico, ubi afferuntur attributa et Signa & unde planta quælibet cognoscitur, allegare. Dicit præterea, quod Genera tamdiu non possunt determinari, quamdiu nondum omnes detectæ sunt plantarum species, et ut certum quoddam stabilire genus queam, requiritur, ut persvasus sim, NB: nulla alia in toto Regno vegetabili planta jam detecta vel posthac detegenda sit, quæ ad unam alteramve sub uno genere constitutarum specierum majorem ostendat similitudinem, quam istæ species ad se invicem sc: congeneres. Quoniam nullum attulit Exemplum suæ methodi, ejus mentem ex asse percipere non facile est; Qvan-